

www.e-rara.ch

Ludolphi a Ceulen de circulo & adscriptis liber

Ceulen, Ludolf <<van>>

Lugd. Batav., 1619

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 5064

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-8623>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRÆFATIO.

Ad illustrissimos potentissimos

ORDINES

Provinciarum fœderatarum Belgij, & eorundem status Assessores.

Illustrissimi Ordines Patriæ Patres,



UM rectarum & circuli adscriptio maximi per universam Mathesin sit usus, non fuerit adeò mirandum inde ab ultima antiquitate viros summos hanc partem admodum sollicitè excoluisse. Namque τὴν πραγμάτειαν τῶν ἐν τῷ κύκλῳ εὐθειῶν ab Hipparcho duodecim, à Menelao sex libris explicatam Theon scriptum reliquit: nostra autem & patrum memoria Georgius Ioachimus Rheticus & ætatem & opes ijs condendis exhaustit, quo opere edito clarissimum Mathematicæ orchestræ plausum commeruit. Sed frustra ista omnia tentari nemo nescit, nisi ante polygonorum optatorum latera adsequi possis. Ea porrò res etsi in paucis forsàn haud admodum magnam habeat difficultatem, in ijs tamen quorum usus maximè necessarius rationem habet inexplicabilem. neque enim quicumquam ab omni ævo repertus est, qui septangulum, non angulum, aut alia hujus generis polygonà geometrica ratione per circinum & regulam construeret, hoc est, qui datum angulum trifariam, quinque aut sexfariam, atque ita deinceps secare possit, quamobrem hic undique fuerunt conquirendæ auxiliares manus, ut id vel in numeris saltem præstaretur. Itaque ad Analyticen recursum est, ut quod Geometria negaret ab Algebristarum abacis repeteretur. Vbi nova difficultas, neque adeò minor occurrebat, cum in æquationes portentosas inciderent, & quorum solutio proderelicta semper esset habita. Ita tanquam ex Lærnea hydra no-

P R Æ F A T I O.

vum semper & majus malum repullulabat, ut plane unde initium operis ducendum esset omnino, tanquam in Gordio aliquo nodo, lateret. Atque ideò cum istæ sol vi non possent, tamen secari potuerunt, dum alij per positiones falsas τὸσύνεγγυς quærunt, alij illarum æquationum ἀμφοβολίαν etiam accuratius interpretantur, ut non tantum terminum ἀυθέρτην, sed etiam plagios omnes evolvant, quos tamen omnes accuratè construere, hoc est, per surdorum numerorum gryphos exhibere nemo possit. Et sane cum ab u s u populari remoti sint non erat utique necesse. In eam igitur curam Ludolphus olim noster inter primos incubuit, ut propositis æquationibus quantumlibet portentosis saltem unum terminum exhibere posset, atque hinc illi tanta libido ut summis laboribus exantlatis plurimorum polygonorum hæctenus ignorata latera conquireret, & ea maxime quæ ad Triangulare canonum constitutionem essent necessaria. Ut ita otiosioribus materiam suppedicaret, & prima quasi elementa è quibus illi construuntur. Sed cum nescio quomodo hanc adscriptionem infinitus peripheriæ τεμαχισμός consequeretur, ea maxime occasio videtur fuisse ut canonum concenturiatores de ratione peripheriæ ad suam diametrum cogitarent. Ita olim à Ptolomeo factū, id quoq; Appianus & tandè uiri clariss. Franciscus Vieta & Adrianus Romanus secuti videntur. Eadem occasione etiam hic noster usus Archimedæam ad circuli quadrationem viam est ingressus. Et rationem diametri ad suâ peripheriam vastissimis numeris explicavit, quam eandem, tâquam laborum omnium, quos exâtlavisset, difficillimum sepulchro suo incidi jussit. Et si alia quoq; ei causa oblata sit, cū ea forte tempestas ferax esset pseudotetragonιστῶν, qui tum mirificè triumphabant, si quando suis figmentis ab Archimedeis limitibus abirent diversi: fuerunt itaque in ordinem cogendi, ne nimium securè hoc erroneum hominum genus minus sagacibus imponeret, aut impune viris summis iliuderet. Ad hanc rem autem regiam viam stravit Archimedes, qui ex inscriptorum polygonorum comparatione

diame-

P R Æ F A T I O .

diametri ad peripheriam rationem certis limitibus ita conclusit, ut qui hinc exorbitent in profundissimū errorū barathrū præcipientes ruant. Latera enim polygoni circulū ambiētis ipsius peripheria majora, & contra latera inscripti eadem peripheria minora esse nemo fere est qui nesciat. atque ita quantò plurium laterum erit polygonum inscriptum, itemque aliud circumscriptum, tanto illa inter se & cum peripheria arctius consentient. Atque ita olim Apollonius Pergæus ad multas myriadam myriadas hanc eandem rationem produxit, & post eum quoque Philo Gaditanus, alijque complures, quorum monumenta hac in parte nunc desiderantur. Atque ita omnibus ævis virorum summorum industria haud indignum fuit incudem hanc quadratariam tuditare. Etsi enim certum sit diametri ad suam peripheriam certam aliquam rationem existere, quod nuda orbicularium revolutionum *ἰσάμωσις* constanter arguit: tamen eam accurate definire nulli mortalium concessum est. atque ideò semper ad eam aliqua fit accessio laboriosa polygonorum adscriptione, neque hætenus ulla alia via patuit aut commodior aut certior ista Archimedæa, quamque omnes saniores Mathematici ideò merito semper secuti sint. Etsi enim, & olim, & forsan hoc sæculo non nemo rationem diametri ad suam peripheriam absque illis limitibus tam prope quam Archimedes constituere possit, id tamen alex quam arti est similis, cum identidem ad Archimedæos abacos sit respectandum & quantum illi addicant explorandum. neque enim à se ullam *πίστωσι* asserre putuerunt, nec adhuc possūt. ut claritati inventionis Archimedææ reliquorū conclusiuncule jure merito concedāt. Neq; id eò dico, quasi nulli alijs termini accuratiores arctioresque istis Archimedæis constitui possint: longe enim arctiores in nostro cyclometrico exhibemus. sed quod hætenus ea gloria Archimedi usque facta tecta fuerit: neque ideo temere aut leviter à quoquam convellenda.

Quam-

P R Æ F A T I O.

Quamobrem cum in re tam illustri, cujus usus adeò longè lateque per universam mathesin diffusus noster Ludolphus regiam viam sit ingressus, ejus simul, & nostros labores vobis, Ordines Illustrissimi, tanquam Patriæ Patribus, artium & scientiarum Mæcenatibus atque patronis eo dicatum, ut quæ hætenus extra imperij vestri fines vix adgnita fuere, nunc etiam vbique sub vestri nominis tutela legantur & cognoscantur.

Illustriss. Amplitudini vestrae

additissimus

WILLEBRORDVS SNELLIUS R.F.